

Certaminis Poetici Sarbieviani

STATVTA

1. Certamen instituitur in honorem Matthiae Casimiri Sarbievii, poetae Polono-Latini, qui vixit annis 1595-1640.
2. Certamen instituitur duabus in categoriis:
 - a) poeseos Polonice conscribendae (si carmina Polonica scribere cupis, inspice statuta Polonice conscripta);
 - b) poeseos Latine conscribendae.
3. Certamen eo habetur, ut M. C. Sarbievii opera et memoria colantur simulque ut poetarum contemporalium animi ad poesin conscribendam excitentur.
4. Ut certamini intersis, scribas oportet TRIA varia CARMINA (quae nondum publicata neque praemiis honorata sunt) et mittas usque ad diem XXI m. Aprilis A.D. MMXXI in certamen.sarbievianum@gmail.com; materiem suscipias quamlibet qualibetque forma eam induas (carmina non debent esse metrica).
5. A collegio trium iudicium optima carmina eligentur et optimo poetae praemium dabitur die XIV m. Maii A.D. MMXXI in oppido PŁONSK (sito prope vicum, ubi Sarbievius natus erat), ubi eodem die seminarium et festum in honorem M. C. Sarbievii habebitur. In antecessum (Kalendis Maiis) certaminis victorem certiorem faciemus et invitabimus, ut veniat (iter suo sumptu faciat oportet, victus et pernoctatio gratis ei offerentur).
6. Hoc anno, propter leges tempore pestis coronariae latas, iis poetis, qui extra Poloniae fines habitant vivuntque, certaminis praemium mittetur in computum argentarium aut cursu publico. Iis tamen, qui in Polonia vivunt, necesse erit ad festum venire, ut praemium accipient.
7. Optima carmina publicabuntur in pagella:
<https://certamensarbievianum.wordpress.com/blog/>
8. Plura de Sarbievii vita et scriptis invenies apud:
<https://certamensarbievianum.wordpress.com>
9. Si plura scire cupis, scribe epistulam electronicam et mitte in certamen.sarbievianum@gmail.com.